



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

14. Venditio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

Ecclesiarum aut bonorum hominum, ubicunque se eligere voluerit licentiam habeat ad conquirendum. Si quis verò, quod nec fieri . . . . . si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, quæ contra hanc ingenuitatem ista, quam ego plenissima voluntate mea pro amore Domini nostri Iesu Christi & pro meis peccatis fieri & adfirmare rogavi, venire conaverit, inferat tibi unam cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præfens ingenuitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

*Venditio.*

XIV. Domino illustri illo ille. Ratio & consuetudo exposcit ut inter emptore & venditore scriptura confirmat, ita ut nec distrahendi, sed ulla repetitio, nec comparandi qualibet videtur esse formido. Idcirco nulli cogentis imperium, nec à judiciaria potestate coactus, sed mea propria & spontanea voluntate & arbitrium, accepto vero pretio, constat me vendidisse vel tradidisse, & ita vendidi, vel de præfente tradidi, hoc sunt res proprietatis meæ in pago illo, quæ dicuntur illæ, id est, tam mansis, domibus, ædificiis, torum & ad integrum re in exquisita. Et accepi à te pretium pro hoc quod mihi bene complacuit, hoc est, tam in argentum quam in actum valentes solidos tantos tantum. Et super scriptas res per hanc venditionem publicè tibi à die præfente tradidi ad possidendum, ut quicquid exinde à die præfente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de meis heredibus, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra venditionem istam venire conaverit, & à me vel heredibus meis non fuerit defensatum, tunc inferat tibi, unam cum socio fisco, duplum tantum quantum à te accepi, vel quantum ipsas res immelioratas valuerint in duplum esse reddendum, & præfens venditio omni tempore firma permaneat.

*Cautio.*

XV. Domino fratri illo ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti nisi ut in summa necessitate mea argento vel acto tuo valente solidos tantos in manu mea ad præfatum beneficium mihi præstiffi. Et ego pro hoc talem cautionem in te fieri & adfirmare rogavi ut usque ad annos tantos in unaquaque hebdomada

dies tantos opera tua, qualia mihi injunxeris, & ratio præstat, facere debeam. Quod si minimè fecero, aut negligens aut tardus exinde apparuero, aut ante ipso placito me immutare præsumpsero, tunc spondeo me per hujus vinculum cautionis, ubi & ubi me invenire potueris, sine ullo iudicio interpellationis pro dupli satisfactione me retineas debitorem. Et quomodo ipsi anni transacti fuerint, debito tuo tibi reddito, cautionem meam per manibus recipiam, stipulatione subnixa, & reliqua.

*Obnoxatio.*

XVI. Domino fratri illo ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter mihi gravis necessitas & natus pessimas mihi oppresserunt, & minimè habeo unde vivere vel vestiri debeam. Propterea ad petitionem meam mihi non denegasti nisi ut in summa necessitate mea argentum vel acto tuo valente solidos tot in manu mea mihi dedisti, & ego minimè habeo unde ipsos solidos tuos tibi reddere debeam. Propterea obnoxiationem de capud ingenuitatis meæ in te fieri & adfirmare rogavi, ut quicquid de mancipia tua originalia vestra facitis, tam vendendi, commutandi, & disciplinam imponendi, ita & de me ab hodierno die liberam & firmissimam in omnibus potestatem faciendi habeas. Si quis verò, quod nec fieri credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quislibet opposita persona, qui contra hanc obnoxiationem istam venire conaverit, inferat tibi unam cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præfens obnoxatio firma permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

*Commutationes de terris.*

XVII. Inter quos caritas inlibata permanferit, pars pari suo opportuna & congrua beneficia non denegabit. Ideoque auxiliante Domino nostro placuit atque convenit inter illum & illum de commutandis terris eorum, ut pro communi opportunitate inter se commutare deberent. quod ita & fecerunt. Dedit itaque ille de parte sua ad partem ipsius illius terram proprietatis suæ in pago illo, in loco qui dicitur ille. Habet in longo dextros tantos, & in lato dextros tantos. Subjungit de uno lato terra lui, de uno fronte terra illius, ex alio verò fronte terra illius infra ipsa terminatione & mensura ad integrum. E contra ad vicem dedit ille de parte sua ad parte ipsius lui terram proprietatis suæ